

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 3, 1849,  
enthaltend fol. 74a–231b von Bd. 2 des Autographs (19 555-2) sowie einen Index

zu Bild Nr.

248

246

252

autem bello interfuit, cuius pater socius Herculis fuit et in Colchos cum eo profectus postea primus in obsidione Trojae muros adscendit et Hesionam regis Trojae filiam in praeda uxorem meruit, ex qua Teucrum genuit, qui, ut dixi, Salaminam Cyperi aedificavit. Quid autem de ejus posteritate contigerit non plene invenio. Frater Vincentius Bellovacensis, ordinis nostri, dicit in Speculo histor. L. 3. C. 66., quod post eversionem Trojae, quae facta fuit ante incarnationem Domini annis 1190, multitudo magna fugiens in duas partes se divisit, duos facientes populos: unam partem duxit Franco, filius Hectoris, nepos Priami regis Trojae; fugiens in extremam Germaniam devenit, ibique diu democrati regioni, quam inhabitabant, nomen suum reliquere, quae hodie dicitur Franconia, Suevis et Bavaris vicina. Deinde ulterius diffusi transvadato Rhenoo eas in partes venerunt, quas semper postea tenuerunt, sibique ex eis ducibus quasi reges constituerunt et in posteritatem longam atque fulgidam devenerunt, sed et easdem partes a se denominaverunt, Franciam vocantes. Aliam partem multitudinis duxit Turcus quidam, filius Troji, filii Priami, in asiaticam Scythiam profugentes; ibi more bestiarum vitam duxerunt, et isti sunt et dicuntur Turci. Hos simul cum Judaeis propter vitae inhumanitatem inclusit Alexander M. intra montes, ponens portas et clausuras, ne exire possent. Ut patet supra Fol. 141 et Fol. 87.

Dominus Antonius in Chron. P. II. Tit. 16. C. 43. dicit, quod gens Turcorum ab initio septentrionalis fuit, Turci dicti a quodam duce nominato Turco, qui post trojanum excidium ad hyperboreas regiones se transtulerunt, ubi armorum relicto usu gregibus et armentis operam dabant; propterea una pars magna populi sequestrata in Persidem devenit, et multis annis ibi ut miseri hospites degentes tandem multiplicati (¶) robur acquisiverunt, in tantum, ut Persis suspicio fieret, ne fortiores eis essent, unde sicut Aegyptii filios Israel gravabant oneribus, ne crescerent super eos, sic Persae multis modis Turcos illos afflixerunt, tandem autem post multa (proelia) de terra eorum exire coegerunt supra fluvium Chobar, qui dum in campis consistenter ingentem cernentes suam multitudinem puerili sorte regem inter se elegerunt anno Domini nongintesimo vel circa, cum iam Machometi negotium curreret. Rex autem factus statim populum cunctum reduxit

Ende

Anfang